

ret reuelatio, attamen doctrinas, quae veritatibus ratione perspicuis, et diuinis perfectionibus aduersantur, ad falsas spuriyasque esse referandas inde patescit, quod Deus rationis, et reuelationis auctor sibi ipsi nequeat repugnare.

## CAPVT IX.

*De officiis erga se ipsum, seu de honestate naturali.*

CCCXXIX. Inter fines, quos spectauit sapientissimus conditor huius vniuersi, illum quoque reperi alibi demonstrauimus, vt quisque se conseruare studeat, se perficiat, diligatque; hoc enim neglecto, nec ea, de qua antecedente capite egimus, diuinae gloriae illustratio obtineri vlo modo potest. Nemo igitur est, qui non huic fini actiones suas attemperae teneatur. Quod idem, quum et cuique innati suggerant naturae stimuli, et recta ratio ex veri boni notione luculenter perspiciat: quin obligationes et officia erga semetipsum dentur, absurdum foret dubitare.

CCCXXX. Quicunque facultatum a naturae aucto-re tributarum sibi satis non est conscius, atque adeo quas perfectiones adquirere, aut imperfectiones evitare aptus sit, probe non tenet, is in boni malique delectu facile inducetur in errorem; itaque ynicuique imprimis curandum est, vt se ipsum noscat, tum vitas hominum inspiciat tanquam in speculum, dein vero qua ratione alii perfectiores facti sint, vel imperfectiores, sedulo experiatur.

CCCXXXI. Quum vero hominis status vel internus sit, vel exterius, illeque anima et corpore atque vtriusque facultatibus, hic autem plurius aliis determinationibus contineatur: homini, qui statum suum perficere debet, danda omnino est opera, vt se viuum ser-

seruet atque incolument, hinc bona animi, corporis et status externi, atque ita omnium, quas habere potest, perfectionum cumulum sive felicitatem consequatur; quaecunque autem hisce bonis sunt contraria, quaeque infelicitatem pariunt, diligenter declinet.

**CCCXXXII.** Animi perfectio in recta intellectus, et voluntatis exercitatione consistit; quum igitur intellectui is propositus sit finis, ut veritatum, quod eius fieri poterit, cognitionem capiat, nec tamen sine usu facultatum fentiendi, reflectendi, intelligendi, iudicandi, et ratiocinandi eo queat perueniri: manifestum est, ad culturam harum facultatum cuique esse incumbendum, ut vincatur ignorantia, depellantur errores, eaque evitetur cognitionum confusio, quae in discernendo honesto a turpi posset obuenire.

**CCCXXXIII.** Sed inutile foret honesti ac turpis discrimen nosse, nisi haustis veri boni cognitionibus actiones nostrae congruant. Nulla sane alia est defensioni officii causa, quam quod appetitiones, et auersationes potissimum sensitivae a recta dissentiant ratione, et vana tantum boni maliue specie decipiamur; quare voluntatem finis suo obtinendo adsuerefacere oportet, et illam ita flectere, ut nonnisi ex verbi boni contemplatione ad appetendum ex contemplatione veri mali ad quersandum se determinet, atque hoc modo praeclarus ille rectae rationis cum inferioribus adpetendi facultibus consensus existat.

**CCCXXXIV.** Sed nihil magis voluntatem in transuersum agere potest, quam affectus, in quibus adipetitio, vel auersatio sensitiva dominatur: quare omnibus maxime cordi esse debet, ut eosdem regant, et in disciplinam, atque obsequium tradant rationi; haec enim huiusmodi vehementiores animi motus, ne in actus legi contrarios erumpant, compescet, sedabitque, aut etiam, si ita res ferat, illis tanquam calcaribus ad appetitionem, vel auersationem rationalem magis stimulandam, augendamque vtetur.

**CCCXXXV.** Vti animi imperio, ita corporis servitio indigemus; quapropter huius sanitatem, quantum quidem in nobis est, conseruare, habilitatem vero exercitatione et arte augere in officio est. Ita porro fiet, ut organa, quae vel ad vitam generatim, vel speciatim ad sensus five internos, vel externos, tum ad motus alios, veluti loquela et ambulationem efficiendos pertinent, proprio muneri implendo magis idonea reddantur. In hisce enim functionibus tam conata, quam adquisita machi ae corporeae perfectio consistit.

**CCCXXXVI.** Ex hisce autem compertum est, quam turpe sit corporis vires mortalia atterere, vitae aut sanitatis pericula temere subire, membra mutilare, aut plane mortem sibi ipsi consiscere. Sane, qui spiritum e custodia dimittunt, munus defugient a Deo sibi assignatum, et essentiale illam hominis perfectiōnem, quae in corporis cum anima commercio posita est, funditus enertunt, quo facto omnis quoque corporis ac animi perficiendi ipsiusque diuinæ gloriae illustrandæ occasio est erupta.

**CCCXXXVII.** Pendet autem hominis conservatio et maior perfectio a rerum seu facultatem externarum viu, ut nimirum cibus, potus, amictus, et incidentibus morbis medicamenta prompta habeantur. Ex quo satis adparet, eos ab officio discedere, qui in rebus huiusmodi parandis vel tuendis negligentes sedent, et oscitaantur.

**CCCXXXVIII.** Omnis opera seu exercitatio facultatum nostrarum cum aliqua saltem aegritudine coniuncta, et illa speciatim, quae in rebus parandis tenuisque versatur, *labor* dicitur, cui opponitur *otium*, seu *vacatio* a labore. Quum nemo sit, cui ab actione ad finem suum pertinente, seu occupatione vacare licet, vel qui sine illa minima molestia se perficere, et rerum potiri satis possit, consequens est, unus quisque teneatur laborem festari, et eatenus otium fugere.

**CCCXXXIX.**

**CCCXXXIX.** Quoniam rerum expetendarum illatantum ratio est, ut implendi officii sunt remedia, curare omnes oportet, ut cibo, potu, ac medicamentis utuntur minime noxiis, et moderate; ut vestimenta frigoris et tempestatum molestii arcendis seruandae que verecundiae inferuant; ut in domiciliis salubritas, ac commoditas spectetur; ut denique labor vitetur immodicus, qui vires frangit, et operas impedit futuras. Quapropter iam quiete frui, iamque iucunde et cum innoxia voluptate occupari sive honesto in otio viuere sine negotio aliquando licebit.

**CCCXL.** Qui in corporis habitu, et rebus comparandis atque expendendis statutum seruant modum, iis frugalitas et temperantia, et quatenus haec omnia in oculos cadunt, etiam decorum tribuitur. Ex quibus perspicuum est, basce virtutes ad officia erga se ipsum esse referendas, viria autem contraria, intemperantiam, et luxuriam, tum ingluviem, ebrietatem, auaritiam, ac profusionem a lege naturali abhorrere.

**CCCXLI.** Innumerae autem sunt laborum, et occupationum formae, nec cuiusquam hominis tantum esse potest animi, vel corporis robur, ut omni veritati cognoscendae, omnique operi praestando sufficiat. Quare singulos ad certos quosdani labores et occupationes, hoc est, *vitae genus* sese applicare, et habitus illi consentaneos adquirere necesse est. Eam nimirum quisque sibi accommodet personam, in qua finibus viuere convenientissime, et ita maximas, quae in ipsum cadunt, perfectiones obtinere est aptissimus.

**CCCXLII.** Caveat porro quisque, ne antea implacetur aliquo certo genere, cursuque viuendi, quam potuit, quod optimum esset, indicare. Itaque animi, et corporis vires, ingenium atque indoles, facultates externae, et, si ita res ferat, etiam voluntas eorum, qui possent imperio, diligenter exploranda sunt; tum vero persona, quae cuigne est imposita, ita gerenda est, ut nihil eorum, quae muneris ratio exigit, a nobis de-

siderari patiamur. In hoc peculiaria erga animum, corpus, et statum externum officia cernuntur.

CCCXLIII. Ad statum externum pertinet quoque *Existimatio*, seu iudicium aliorum de morali nostra perfectione, vel imperfectione, ex quo si latius serpat, *Fama* proficitur. Utraque in *bonam* et *malam*, dein in *veram* *falsamque* abit. Bona existimatio iterum vel *simplex* est, seu naturalis, quae cuique ob solam a malo abstinentiam competit, vel *intensa*, sive aduentitia, quam *perfectiones* vel *intellectus*, vel voluntatis *superadditae* sibi vindicant. Ista si verbis declaratur, *Laus*, si factis, *Honor*, si autem bonorum, et peritorum consenuit propter eminentes dotes stabilitas sit, *Gloria* nuncupatur, quibus *Vituperium*, *Contemptus* *Infamia*, atque *Opproprium* sunt contraria.

CCCXLIV. Quandoquidem bona *existimatio* partem iurium nostrorum constituit, praetereaque maiores *perfectiones* adquirendi occasionem praebet, cuiuslibet est officium eandem custodire et augere. Etsi enim quid homines de se loquuntur, aut sentiant, praestare nemo possit, veram tamen laudem et honorem honestis actionibus promereri, in cuiusvis potestate positum est. Fugienda vero sunt vitia tam *Ambitionis*, quae est laudis et honoris per se tantum et propter se adpetitus, quam *adrogantiae*, qua ii sunt infecti, qui a *perfectionibus* opinatis, vel fortuito obuenientibus laudes, aut honores aucupantur.

CCCXLV. Quum *Fortuna*, seu euentus ab ineuitabili causarum nexu consequentes nemini queant imputari, ideo nec a *prospera* laudis, nec ab *adversa* *vituperii* arripi argumentum potest. In eo autem est cuique elaborandum, vt nec fortuna prospera emolliatur, nec in adversa animum abiiciat, sed eam patienter ferat, suaque virtute se inuoluat. In quo, quia excellens illa virtus *animi magnitudo* conspicitur, ideo, vt in illam facilius assurgamus, necessaria est *praeparatatio* ad *futuros casus*.

CCCXLVI.

**CCCXLVI.** Sine concordia variorum in uno non intelligitur perfectio. Itaque ut hominis status omni ex parte in suo genere perfectus sit, officia erga animum, corpus, & statum externum inter se, et cum suo scopo tam generali, quam peculiari conspirare debent. Quamobrem non ita studendum est animi perfectiōibus, vt corporis vires vel cetera hona externa negligantur, aut vicissim.

**CCCXLVII.** Evidem in eum aliquando casum de-mittimus, vt omnibus hisce officiis simul satisfacere nequeamus; sine quod necessaria nobis desint remedia, siue quod officiorum inter se conflictus oriatur. Ac tunc quidem nulla dubitatio est, necessitatem absolutam et simplicem non habere legem; quae vero in legem pugna se nobis obiicit necessitas hypothetica; illa utique eam legem habet, vt id semper, quod ad maiores obtinendas perfectiones valet, ac porro finis remedio, malum minus malo maiori, adeoque etiam malum incertum malo certo p̄aeferatur. Id tamen non imus inficias, malum incertum graue malo certo, sed longe leuiori, redimere licere.

**CCCXLVIII.** Itaque *ius* quod vocant *necessitatis* est facultas moralis, legem negligendi debiliorem, vt propter conflictum legi fortiori pareatur, et generatim iuribus stricte talibus adscribitur. Differt ab hoc *fauor necessitatis*, qui tam in necessitate simplici ad excludendam omnem imputationem, quam in hypothetica vel ad tollendum reatum, si exceptio secundum leges instituatur, vel ad minuendam moralitatem; si falso quis fecerit exceptionem, pertinet.

**CCCXLIX.** Ex hisce antem intelligitur, cur incidente contentione I. si ius quidem sit anīi quam corporis perficere facultates. II. cur tamen officium, quod ad vitam tuendam valet, anteponendum sit illi officio, quod scientia, et cognitione continetur. III. cur porro corporis totius magis quam partis, aut facultatum externalium ratio sit habenda. IV. curque si aut

aut membrorum, aut rerum facienda sit iactura, quod ad longiorem vitae conseruationem pertinet, considerare oporteat, et alteri praeferre.

CCCL. Sunt porro res vel *necessariae*, sine quibus vita corpusque incolume nequit conservari, vel *utiles*, quae ad vitam sine taedio ac aegritudine transigendam requiruntur, vel denique *iucundae*, quarum vius sensuum externorum voluptati inservit. Itaque non obscurum est, res necessarias utilibus, utiles autem voluptuariis esse anteponiendas, et ita etiam labores alios aliis antecellere.

CCCLI. Is vero officiorum erga semetipsum conflictus existere nunquam potest, in quo licita esset *autochiria*, seu voluntaria sui ipsius occisio. Est tamen vita omnium bonorum temporalium fundamentum, et aeternorum occasio. Igitur omnibus facultatibus internis, atque externis, libertati, existimationi, valetudini, et corporis integritati praestat, quae fere omnia aliquam moram habere possunt, ac sustentationem. Quare qui manus violentas sibi inferre mallet, quam honorum, quae modo memorauimus, iacturam sentire, falsam utique faceret exceptionem, et fini remedia, bonumque partis bono totius anteponeret.

CCCLII. Et quoniam omne periculum malii incerti infra idem fere malum certum, est ponendum, turpe profecto foret, mortem futuram etsi valde verisimilem, et acerbissimam, morte voluntaria certa ac praesenti occupare. Praeterquam quod enim multa, ut si sunt, inter os et offam internenire possunt, ipsi etiam dolorum acerbitali longius vitae spatium quam maxime praeponderat, ut nulla adeo mors incerta cum certa morte comparari posse videatur. Quid quod se ipsum morti dans animum angustum et minutum prodit; dein patientiam exercendi, et fiduciam in Dei prouidentia ac bonitate collocandi negligit occasionem.

CCCLIII. Sed nec vitae aliorum bonorum servandorum causa, leges Religionis naturalis negatiuas  
mi-

migrare unquam licet. Vitam enim et reliquias nostras facultates, ea tantum ratione custodire, et perficere obligamur, quatenus ad Dei perfectiones manifestandas sunt remedia. Nefas itaque foret horum remediorum causa sine omnium ultimo excidere. Quare id omnino tenendum est totius inhonestatis nullam esse capitaliorem, quam quae contrahitur contemptu summi Numinis, et diuinae gloriae obscurazione.

CCCLIV. Contra si cuni praecepsit erga Deum affirmatiuis incidenter contentio, quoniam illis impletis sufficiente opus est occasione, in grani vitae, vel rerum discrimine actionem, quae ad gloriam Dei immediate illustrandam conduceret, praetermittere non erit in vitio. Sane porterit quis alio loco, et tempore eodem officio fungi, nec qui se ipsum seruat absque impietate, recedere intelligitur a diuino cultu, quippe ad quem omnes et singulae actiones nostrae semper referendae sunt.

## CAPVT X.

### *De naturali aequitate seu officiis imperfectis.*

CCCLV. Leges et obligationes erga alios siquidem ex merito fluunt et dignitate, *imperfectas*, si vero ex suo illorum consequuntur, *perfectas* nuncupari supra vidimus, et inde officiorum, quae aliis debentur, discribenus duximus, ut iam imperfectis sive aequitati, iam vero perfectis, sive iustitiae adscribantur. Superest modo, ut de vtroque officiorum genere singillatim disputenmus; quae iterum, prout vel ex sola natura, vel simul ex accidente quodam facto pendent, in *absoluta* et *vniuersalia*, vel in *Hypothetica* et *particularia* dispescuntur.

CCCLVI. Ea nimurum est naturalis hominum infirmitas atque imbecillitas, ut nemo semetipsum perficere solus possit, alii itaque aliorum indiget opera, atque